



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

V. Vtrum habitus Virtutis Theologicæ, & vitij contrarij sint impossibiles
mutuò saltem in gradibus intensis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

opponuntur omnia, & singula, quæ cæteris quibuscumque Virtutibus sunt contraria; non autem è conuerso. Charitatis enim scopus est placere Deo in omnibus, & singulis rebus; Cæterarum autem Virtutum, non nisi quoad aliquam peculiarem rationem, & materiam. Quæ de causa extat in sacris literis expressus mandatum de Deo cæteris præferendo per Charitatem. Cæterum seruata proportione ratio doctrinæ est communis Fidei quoque, & Spei.

Ad 6. Est quidem proculdubio possibilis amor Dei naturalis super omnia; sed dum agitur de vigore naturæ sub ea voce vniuersali solum comprehenduntur omnia naturaliter occurrentia in contrarium, quibus nimirum solis superandis sufficit ille amor. At amor supernaturalis amat præterea super omnia etiam supernaturaliter occurrentia in contrarium, & pollet vi ad ea superanda pro adimplerione præceptorum supernaturalium, quod est longè difficilior. Differt rursus quoad hoc Virtus Theologica tam à prædicto Dei amore naturali, quam à proposito concepto ex metu gehennæ de vitandis omnibus oppositis Fidei, aut Spei, aut Charitati, aut triplici simul huic Virtuti, & sic de aliis similibus propositis motui vniuersalis. Differt, inquam, quia Virtus Theologica nititur nobiliori, ac longè validiori motiuo, ut superius expositum est; ideoque elicit actum pollentem vi longè maiori ad reiicienda omnia occurrentia in contrarium, cuiuscumque sint conditionis, absque vlla limitatione implicita, vel explicita. Merito ergo Virtuti Theologicae adscribitur, tanquam prædicatum proprium ipsius, prælatio Dei super omnia absolutè, & simpliciter, cum de nulla virtute dici possit, nisi secundum quid.



QVÆSTIO V.

Vtrum habitus Virtutis Theologicae, & vitij contrarij sint incompatibiles mutuo, saltem in gradibus intensis?



IDENTVR esse incompatibiles. 1. Quia habitus virtutum naturalium sunt intrinsecè incompatibiles cum habitibus vitij contrarij, saltem in gradibus intensis, ut fert communis omnium, & vera sententia, eademque per experientiam manifesta. Nemini enim contingit simultaneè esse valdè propensum, ac facilem ad actus alicuius virtutis naturalis, & ad actus vitij contrarij; sed per acquisitionem magnæ propensionis, ac facilitatis ad alterum eorum extremorum, deperditur magnitudo propensionis, ac facilitatis ad alterum. Habitus autem supernaturales, & maxime Theologici, sunt maioris longè perfectionis, quam virtutes naturales; & quò vnumquodque est præstantius in genere suo, eò minus secum compatitur in eodem subiecto de malo opposito. Sunt igitur à fortiori incompatibiles virtutes Theologicae cum vitij contrariis, saltem in gradibus intensis.

2. Esse conuersum, & auersum eundem respectu eiusdem sunt incompatibilia. Habitus autem Theologici conuertunt hominem habitualiter ad Deum. Quia infunduntur, sicut dictum est, ut homo per ipsas sit rectè ordinatus respectu sui vltimi finis, quod non habetur sine conuersione ad Deum, & auersione à creaturis. Habitus verò vitiosi contrarij reddunt hominem auersum à Deo habitualiter, quia habent naturam, & vim contrariam virtutibus, quibus directè opponuntur. Eadem est impossibilitas, qua im-

plicat, ut idem simul sit virtuosus, & vitiosus, bonus, & malus simpliciter, quorum alterum habetur per virtutes Theologicas, alterum per vitia contraria.

3. Qui præhabet habitus Theologicos, non potest deinde acquirere habitus vitiosos illis contrarios, quoad gradus intensos, vel remissos, quin amittat habitus bonos contrarios, vel totaliter, vel saltem quoad totidem gradus. Eadem autem est ratio de excludendo habitu vitioso, per infusionem habitus boni, quia eadem est alterutrus habitus ad alterum oppositio. Nunquam igitur contingere potest, ut simul ab eodem habeantur virtutes Theologicae, & vitia contraria, saltem in gradibus intensis.

Art. 1. Resp. Habitus virtutum Theologicarum, alioque per se infusos esse composibiles, etiam quoad gradus intensos, cum vitij oppositis communis, & vera Theologorum sententia est, vno tantum, vel altero renitente, ut renititur M. Bannez, qui communi sententiæ immeritè refragatur; quia recens conuersus ad fidem, aut ab iniustitia ad iustitiam; tamen si conuersionem peregerit feruenti, & admodum intensa dispositione; ideoque omnes habitus per se infusos nactus sit similiter intensos; si tamen ante conuersionem fuit admodum vitiosus, experitur se post illam, non minus, certè non multò minus procliuem, & facilem, quam antea ad actus vitiorum; ita ut sententiarum impellentium ad illos, sit idem, aut ferè idem atque antea erat, licet vis resistendi post conuersionem, & iustificationem sit maior.

Art. 2. Ratio à priori, quæ apud alios est valdè difficilis, ac obscura, reuocatur in principium traditum quæst. 15. de gratia: Quod habitus, aliaque qualitates purè physicae, ratione sui præcisè, ac immediatè, conferant quidem facilitatem physicam ad actus, quorum sunt effectiui, eamque, quò sunt intensiores, plus augeant; nullam tamen conferant inclinationem, ac propensionem ad eosdem, nec vim vllam habeant alliciendi, ac determinandi intellectum, aut voluntatem ad illos potius, quam ad oppositos actus, nisi habitibus accedant cognitiones experimentales, & complacentiæ intensiores, quibus solis inest, ut inibi probatum est, eiusmodi vis inclinandi, alliciendi, ac determinandi potentias rationales. Tamen si autem propensiones, & inclinationes physicae ad terminos inuicem incompatibiles, sint, & ipsæ incompatibiles inuicem saltem in gradibus intensis, ut patet in grauitate, & leuitate, alijsq; similibus, nihilominus facilitates purè physicae ad producendos effectus inuicem incompatibiles, non sunt similiter incompatibiles inter se necessitè, ut patet in voluntate habente simultaneè summam facilitatem ad volitiones, & nolitiones plurimum motionum corporalium, aliorumque obiectorum indifferentium.

Art. 3. Habitus autem per se infusi cum non præsupponant per se longam actuum suorum repetitionem, ac proinde non sint coniuncti per se cum cognitione experimentali facilitatis, & suauitatis actuum elictorum per ipsos, quin fieri possit, ut habeantur etiam in gradibus intensis, absque eiusmodi repetitione, & experientia, possunt utique conferre tum intellectui, tum voluntati facilitatem physicam, etiam maximam, ad actus proprios ipsorum, quin vllam conferant, vel certè quin conferant magnam aliquam propensionem, & inclinationem ad illos, & consequenter possunt componi cum quantalibet facilitate physica ad actus oppositos, constituta per contrarios habitus vitiosos, vicumque intensos. Ergo virtutes Theologicae non sunt ex sua natura intrinsecè incompatibiles cum habitibus vitiosis contrariis, etiam quoad gradus intensos.

Ad 1. Habitus virtutum naturalium, & habitus vitiosi contrarij ambo gignuntur per actus similes sæpè repetitos; & consequenter sunt per se coniuncti cum

cum noticia experimentalis inclinante, ac determinante ad similes actus eliciendos. Et quia inclinationes, ac propensiones ad terminos inuicem impossibiles, vti impossibiles sunt actus virtutis, & vitij contrarij, sunt etiam ipsae similiter impossibiles; propterea habitus virtutum naturalium sunt ex sua natura impossibiles cum habitibus vitiosis contrariis. Ea autem ratio non militat in habitibus supernaturalibus per se infusus, vt patet ex dictis.

Ad 2. Conuersio, & auersio alicuius respectu alterius dicuntur ratione actuum immediatè, ac formaliter; ratione verò habituum, non nisi quatenus illis adiungitur noticia experimentalis actuum, inclinans, ac alliciens ad talem personam, aut deuians ab eadem. Talis autem noticia non est per se coniuncta Virtutibus Theologicis. Fieri propterea potest, vt habens Virtutes Theologicas, absque repetitione actuum, & experientia eorum, vt contingit in Pueris baptizatis, & alijs, non sit simpliciter conuersus ad Deum positum; sed tantum priuatiuè per exclusionem peccati. Vnde fieri potest, vt coniungantur virtutes Theologicae cum vitis contrariis quoad habitus, etiam intentos, quin propterea, qui vtrosque habitus simul habet, simul sit conuersus, & auersus respectu Dei simpliciter.

Ad 3. Qui praehabet habitus Theologicos, idè non potest acquirere habitus vitiosos, contrarios, nisi illis deperditis; quia non potest acquirere habitus vitiosos, nisi per actus vitiosos: atque habitus Theologici sunt impossibiles cum actibus vitij contrarij, vt dicitur quaest. proximè sequenti. At habitus vitiosi non sunt similiter impossibiles cum actibus contrariarum virtutum, vt ibidem exponetur; & propterea possunt obtineri virtutes Theologicae non exclusis contrariis habitibus vitiosis praesistentibus.



QVÆSTIO VI.

Vtrum Habitus Virtutis Theologicae sit impossibilis cum actu vitij contrarij?



IDEVR non esse impossibilis. 1. Quia habitus vitij contrarij non est impossibilis ex sua natura, cum actu Virtutis Theologicae, vt proximè dictum est, & est certum apud omnes. Nec enim per quemlibet actum virtutis, protinus amittitur consuetudo vitiosa praesistens, eiusque mala inclinatio, vt patet. Non est autem maior oppositio virtutis cum actu vitij, quam è conuerso. Ergo componi similiter potest habitus virtutis Theologicae cum actu vitij contrarij.

2. Auxilia actualia Gratiae sunt compossibilia ex sua natura cum actibus quibuscumque vitiosis. Ergo, & habitus quilibet per se infusus est compossibilis cum iisdem. Patet consequentia, quia auxilia actualia possunt inducere eisdem specie actus, qui possunt induci per habitus. Quae autem possunt esse principia eorundem effectuum, eandem oppositionem habeant necesse est cum effectibus contrariis.

3. Peccata venialia vitij oppositi sunt compossibilia cum virtute qualibet Theologica. Ergo sunt compossibiles cum eadem quilibet actus vitij oppositi. Patet consequentia; quia omnes actus vitij oppositi eodem modo contrariantur motiui virtutis sibi correlpondentis.

4. Videtur tantum indirectè excludi omnes habitus per se infusus per quodvis peccatum lethale quatenus quodvis peccatum lethale immediatè, &

directè corrumpit Gratiam sanctificantem, quae est radix ceterarum omnium virtutum infusarum, quae propterea necessariò intereunt illa intereunte, vique adeò, vt non nisi miraculosè conseruari possint, & non nisi miraculosè conseruentur de facto habitus Fidei, & Spei in absentia Gratiae sanctificantis; sicut miraculosè conseruantur proprietates accidentales naturae substantialis in absentia talis naturae. Ergo nulla virtus Theologica habet impossibilitatem vllam specialem cum actu vitij directè contrarij, potius quam cum quouis alio peccato lethali.

5. Si habitus Theologici essent impossibiles ex natura rei cum actibus vitij contrarij, actus earum virtutum non elicerentur liberè libertate contrarietatis; quia comprincipium impossibile cum alterutro ex extremis libertatis est impossibile cum libertate, & indifferentia ad verumque extremum. Nec enim auferri potest tale comprincipium per positionem eius extremi, cum quo ipsum est impossibile, cum, quod prius est, per id, quod posterius est, auferri minimè possit. Neque etiam fieri potest, vt voluntas componat cum tali comprincipio extremum, quod est impossibile cum eodem, vt per se patet. Ergo nec in sensu composito, nec in sensu diuino Virtutum Theologicarum possit esse libera voluntas iisdem virtutibus praesentia ad actus vitij oppositi. Sequela autem est absurda; quia fidelis est liber ad infidelitatem, & sperans ad desperationem, & amicus Dei ad peccatum lethale.

6. Non potest constitui inter virtutes Theologicas, & actus vitij contrarij, neque impossibilitas moralis, ac demeritoria, neque impossibilitas purè physica. Non quidem purè physica: quia iustus incidens in amentiam non amittit virtutes, quas ante habebat per actus infidelitatis, aut desperationis, aut quoscumque alios intrinsecè inhonestos; cum tamen quoad physicam entitatem, aut speciem sint eiusdem rationis eum actibus perfectè liberis, ac moralibus. Sed neque moralis, & demeritoria esse potest ea impossibilitas: Quia ex eo capite quodvis peccatum lethale est impossibile cum omnibus donis infusus à Deo. Omnium siquidem priuatio debetur cuius peccato lethali secundum se. Nulla igitur absolutè, vel certè nulla specialis impossibilitas conuenit Virtutibus Theologicis cum peccato lethali vitij contrarij.

Art. 1. Resp. Certum est, vnamquamque Virtutem Theologicam amitti de facto per peccatum lethale pertinens ad vitium contrarium tali virtuti. Colligitur ex Trid. sess. 6. cap. 15. vbi loquens de infidelitate, per quam, ait, & ipsa fides amittitur. Quod procul dubio accipiendum est de eodem amissionis modo, quo sub eadem periodo definit, quocumque peccato mortali iustificationis Gratiam amitti, vbi dubitari minimè potest, sermonem esse de amissione habitus. Quia verò desperatio non minùs, aut aliter opponitur Spei, atque opponitur infidelitas Fidei, & quodvis peccatum lethale charitati, pro certo tenendum similiter est, Spem quoque interire per quodvis desperationis peccatum. Constat igitur nullam Virtutem Theologicam esse compossibilem de facto cum vllò peccato lethali vitij oppositi, quae est communis omnium sententia contra Durandum.

Art. 2. Deducitur verò inde vterius, Virtutes Theologicas esse impossibiles intrinsecè, & ex natura rei cum peccato lethali vitij contrarij, ita vt, saltem connaturaliter, & citra miraculum, componi inuicem non possint, opponuntur enim inter se non minùs, si non & magis, te totis, quantum calor, & frigus, similesque qualitates, quoad gradus intesos. Nempe Deus non auferit dona supernaturalia, suapte natura permanentia, nisi accedente ex parte nostra aliquo impossi-